
De bello Melitensi, & eius euentu Francis imposito, ad Carolū Cæsarem V. Nicolai Villagagnonis Commentarius.







PARISIIS,
Apud Carolum Stephanū, Typographum Regium.
M. D. LIII.
Cum priuilegio Regis.

PAR LETTRES PATENTES DV ROY, DONnees a sainct Germain en Laye, le uingtsixieme iour de Feburier, mil cinq cens cinquante deux, signees sur le repli, Par le Roy, maistre Iehan Dauãson maistre des Requestes ordinaire de l'hostel present, Du Thier, & scellees en cire iaulne du grand seel dudict Seigneur sur double queue, Il est permis & octroyé a maistre Charles Estienne son imprimeur ordinaire, que nul autre que luy en ce Royaulme, pays, terres & seigneuries dudict Seigneur, puisse imprimer ne faire imprimer, uendre ne debiter ce present liure, intitulé, De bello Melitensi, & eius euentu Francis imposito, ad Carolum Cæsarem V. Nicolai Villagagnonis Commentarius, iusques apres six ans finiz & accompliz, a compter du iour & date du paracheuement d'iceluy, sur peine de confiscation de la chose, & d'amende arbitraire, applicable moitié audict Seigneur, & moitié audict Estienne. A laquelle fin, ledict Seigneur a uoulu & commande, que ce qui aura ainsi esté & sera imprimé, contrefaict & mis en uente, soit saisi & mis en sa main: & ceulx qui auront ce faict, adiournez par deuant le Preuost de Paris, ou son Lieutenant, auquel de la certaine science, propre mouuement, plaine puissance & auctorité dudict Seigneur, est mandé proceder alencontre des desobeissans sommairement & de plain, a la declaration desdictes confiscation & amende arbitraire, sans ce qu'aucuns autres iuges en puissent prendre Court, Iurisdiction, ne congnoissance: laquelle leur est du tout interdicte & defendue, Nonobstant quelconques establissemens de Iurisdictions, Edicts, Statuts & Ordonnances, ausquels il a pleu audict Seigneur deroger.



De bello Melitensi, & eius euentu Francis imposito, ad Carolum Cæsarem V. Nicolai Villagagnonis Commentarius.





ELLI à Turcharum principe Melitensibus Equitibus illati, quis fuerit exitus, ex multorum literis, Carole Cæsar, cognouisti. Sed ad quem redeat arciũ deditarũ infamia, qui scripsêre, tacuerunt: & nacti temporis occasionem, vbi viderent tibi & Iulio Pontifici cum Rege bellum esse, culpam amissæ Tripolis, Legato oratori regio & Francis equitibus assignarũt: detectus tamen paulò pòst dolus huc rem adduxit, vt falsi damnatis scriptoribus, Franci omnium sententiis in Equitum cõcione sint absoluti. Sed quum mendacium in vulgus editum, per totam Europam prius increbuisset, & hominum animos peruasisset, quàm absolutionis testimonium emitteretur: effici adhuc non potuit, vt ab errore auerterentur, qui semel ad prægressam famam, de Frãcis improbã opinionem imbiberant. Id autem quàm sit iniquum, & ab ipsa re alienum, hic te docebit Commentarius.

Classem apud Turchas parari, & Melitenses designari, quum penè omnium sermonibus iactaretur: Ioannes Omedes Hispanus, Melitensis militiæ princeps, per homines idoneos hostiũ iter explorãdum esse putauit: vt vbi cõperisset, quam in partem classis contenderet, consilium sibi caperet. Exploratores, dimissis ad eum nuntiis, Melitam peti, rémque nullam amplius habere dubitationem, confirmabant. Quibus nuntiis Equites excitati, ab Omede postulãt, vt sibi rebúsque suis maturè prospiciat: ne appulsu classis, inopinantes & imparati opprimantur. Omedes respondet, nulli hæc maiori esse curæ, quàm sibi: neque se virum existimari debere tam nullius vsus, vt quando res exigeret, esset defuturus. Nullam noctis partem intercedere, quum reliqui se quieti darent, quin subductis rationibus, anxiè secum reputaret, quemadmodum rei frumẽtariæ, cæterísque necessariis, bene cautũ & prouisum esset: sed hanc subesse difficultatem, quòd quum propter annonæ angustiam, à Prorege Siciliæ, commeatu perexiguè leuaretur, ex vlterioribus regionibus frumentum à se petitum, ærarium exhauserat, vt numorum inopia grauiter laboraret: cui malo vt mederetur, in se positum non esse. Alioqui de salute cõmuni quantum fuisset sollicitus, suam diligentiam in arce munienda esse testimonio: qua propè haberet effectum, vt opera, & munitiones institutæ, sola specie hostes à spe expugnationis deterrere possent: hoc, à se amplius requiri nihil oportere. Adiecit, ad eorum animos confirmandos, qui metu classis hostium com-

mouerentur, rem non eo positam loco, ac plerisque videretur: classem, multò longius; quàm Melitam spectare: ea de re, scire se plus & intelligere, quàm qui diuersum scripsissent. (Neque enim, qui rerum aliquem vsum habeat; in animum inducturum, vt credat spe Melitæ obtinendæ tantos sumptus factos esse.) Certò se accepisse, Francis classem esse destinatam, atque Tolonis expectari: Legatũ oratorem regium quinque mulos Massiliam adduxisse, quibus stipendium Turchis attulisset: duas insuper triremes & biremem vnam adornari, quibus ad eos transueheretur. hoc, equitis Franci è Francia aduecti indicio, tenere se: cui potius, quàm hominum imperitorum vocibus, habenda fides esset. Eodem tempore nuntiatur, Villagagnonem Messanã appulsum, Melitam contendere: in cuius aduentum huius rei fides reiicitur. Vbi aduenit, magna omnium expectatione, ad Omedem deducitur, vt de classe quid afferret certi, intelligeretur. Hic interrogatus, apertè negat classem vsui Francorum, sed Solimani cupiditati apparatam esse: vt iniuriam, induciis ad Africanum oppidum violatis, acceptam vlcisceretur. Hoc, in Francia ante suam profectionem, palàm factum esse, à viro penes quem non parua est rerum autoritas: eámque vnicam fuisse causam, cur, neglecta re familiari, missionem à Rege petiisset, ne tempore maximè difficili sodales deseruisse diceretur. Eo sermone confecto, habere se ab Anna Mommorãtio, priuati officii mandata, commemorat. apud quem post Liladami principatum, militiæ commoda præ-

cipuo commendationis loco ſemper fuerant. Is ſe ægerrimè laturum ſignificabat, ſiquam Omedes honoris aut dignitatis iacturam faceret: Solimanum Equitibus valde ſuccenſere, propter operam Cæſari ad Africam nuper nauatam: neque vlla ratione deduci potuiſſe, quominus claſſem ad perſequendas iniurias inſtrueret. A qua, Melitæ & Tripoli nonnihil extimeſcendum. proinde Omedes videret, ne quid aduerſi imparato & incauto ſibi contingeret. Omedes hoc reſponſo Villagagnonem nimiæ ſecreti tenacitatis inſimulat, quòd aperire nollet quæ de Regis ſui propoſito intellexiſſet, claſſem Francorum rebus comparatam ad ſe properare. De ſe autem profitetur, operam daturum, ne ſua diligentia requiratur. Prorex Siciliæ iiſdem de rebus egerat Meſſanæ cum Villagagnone, atque in eadem erat cum Omede ſententia: ſed monitionibus conceſſit: atque adhibita celeritate, quum nulla veteranorum ſibi facultas eſſet, paſtorum & montanorum delectũ habere cœpit, quos Africam ſubſidio tranſmitteret. Simul, quòd certior factus erat Tripolim militum inopia conflictari, nulláſque eſſe copias, quæ Melita eò traducerentur: delectorum numerum definitum ad Omedem miſit, vt eis ad Tripolitanum præſidium vteretur. Addebat, maximi intereſſe Reipub. Chriſtianæ, militiæque Melitenſis, eum portũ ſeruari: ne amiſſus, ad receptum prædonibus pateret. Hoc nuntio, & Villagagnonis oratione Equites incitati, Omedem circunſiſtunt. Qui ad eum, propter dignitatem, ſermonis aditũ habebant,

orabant vt opinione decederet, &, priusquam tempore excluderetur, de omnibus rebus constitueret, quæ ad communem salutem pertinebant, ne sperneret Proregis autoritatem & mandata: hunc enim tantos sumptus fecisse describendis & transmittendis militibus, argumenti loco sumi posse, classem Francos non petere. Quibus ostensis rebus, concilium indicitur. Ibi Omedes ab vltimo repetit, & longa narratione prosequitur, quæ antea de annonæ angustiis exposuerat: re frumentaria se premi, militum perexiguas copias habere, æris nullam rationē. Atque hanc ipsam fuisse causam, cur è prouinciis Equites non euocasset. Inita ratione quemādmodū è tantis difficultatibus emergeret, hanc expeditissimam sibi visam, vt singulis militiæ possessionibus pecuniæ imperarentur: quod non est improbatum cōsilium, sed in suum tempus & opportunitatem reseruatum: hoc autem reprehensum est, quòd præsentis periculi remedia in longinquum produceret. Hac ergo procuratione in suam occasionē reiecta, huic vni rei studendum esse demonstratur, vt ægritudini præsenti præsens medicina reperiatur: ne mora interiecta, ad extremum periculum agat imparatos. Adiungitur, tribus omnino locis rem Melitensium cladem aliquam accipere posse: quibus, quātum esset facultatis, danda erat opera ne grauius quicquam accideret. Quòd si ob tenuitatem, omnibus succurri non liceret: ea deseri oportere, quæ ab omni iniuria tuta esse non possent: & ex eorum copia, his quæ defendi placuisset, subuenire. De Gosira insula tracta-

tur, defendi liberet, an dimitti. Vna consensione decernitur, deseri oportere. Repugnat tamen Omedes: docet, castrum editissima rupe, asperrima & circuncisa situm esse: vt facilè hostes aditu prohiberentur. eò insulanos se posse recipere, quos respectus patriæ, natorum & propinquorum charitas, ad extremum vitæ periculum, sedes tueri cogeret. Qui sæpe cum Turchis patentibus & apertis locis congressi essent, victorésque semper euasissent, dubitari nō debere, quin naturâ loci subleuati, tectíque munitionibus, illorum impetum sustinerent, & muris succedentes summouerent. Horum virtuti se multū confidere, sed spem primam constituisse in eorum ducis equitis Hispani virtute & belli scientia: quibus rebus procliue est ad omnes casus subsidia comparare: ac iam vt hæc contra opinionem acciderent, & per infirmitatem hostibus resisti non posset, iudicii tamen sui non esse, protinus ad leuem auditionem, insulam relinqui: quòd absque magno municipum detrimento, suóque dedecore id fieri non posset. Quid enim, inquit, est leuius aut turpius, quàm ante visum periculum metu permoueri? Quid si (quod est magis probabile) hostes nō veniant: quis relictæ patriæ damna resarciet? Hoc vbi cōcio obstinatè sibi negari videt: ad castri Tripolis muniendi cogitationem se confert. Erant eo loco complures milites, qui ætate & vulneribus confecti, bello idonei esse desierant: qui tamen pristinæ virtutis memoria, stipendio fouebantur, atque definitum propugnatorum numerum explebant. hos mitti oportere iudi-

catur: & totidem eorum loco ſubſtitui, quibus vires labori ferendo ſuppeterent. præterea, habito cenſu, fœminas & impuberes, omnéſque quorum animus aut vires obſidionem ſuſtinere non valerent, in Siciliam tranſferendos: & in eorum locum, centum virtutis probatiſſimæ equites ſubmittendos, cum militibus qui à Prorege ſubſidio aduenerāt. cum enim locum, natura & operibus infirmum, non poſſe niſi eximia & excellenti fortitudine ſeruari. His omnibus ab Omede obſiſtitur. imprimis ad eorum ſententiam non accedit, qui fœminas & liberos à parentibus ſeiungendos eſſe cenſebant: quòd communi vitio naturæ contingat, ſaluis rebus, quas quiſque habet chariſsimas, homines fieri ſegniores, vt minori contentione & laborem ferant, & vitæ periculum adeant, præſertim alieno ſolo. Neque potiorem eſſe cauſam, cur emeriti milites amitterentur: ii enim, etſi corpore non valent, ingenio tamen & rerum vſu excellunt: quibus bellum magis, quàm corporis viribus, adminiſtratur. Simul de equitibus omnino ſibi videri vt ad Melitam maneant: præſtare, ſedes proprias plenis copiis conſeruare, quàm his in alienas diſpertitis, vtrarumque iacturam facere. Eis rationibus quæ ſunt demonſtratæ, equites accerſitos non fuiſſe: qui aderant, vix trecentorum numerum implere, in quibus rei Melitenſis ſalus penitus conſiſteret. ſi ad ducentos redirent, periculum fore ne oneri ſuccumberent. His oblatis incommodis, nihil expeditius videri, quàm ad inſulæ cuſtodiā, retentis equitibus, milites à Prorege miſſos Tripolim tranſmitte-

re. horum quidem ſubſidio, eum locũ defendi poſſe: quòd ea eſſet eius loci natura, vt, propter ſtationis incommodum, obſidio diuturna eſſe non poſſet. Nam litus planum, exigua altitudine, lõgo ſpatio, in mare decurrens, in alto naues conſtitui cogit, ne, Eteſiis ea anni tẽpeſtate vi maxima flantibus, fluctibus naues compleantur: aut anchoris ſabulo parum hærentibus, vi tẽpeſtatis incitatæ, ad terram allidantur: quæ res aduerſus obſidionem magno forent adiumento. Hæc vicit in concilio ſententia: ſed ad nouitios milites perlata, eum incuſſit metum, vt palàm detrectare militiam non erubeſcerent: ſéque, quum tollerentur ſigna, non ſequuturos eſſe comminarentur. Commonſtrabant, ſibi tum primùm ab aratro & caulis abductis, nullo dum etiam vſu militiæ percepto, Tripolitanum negotium lõgè diſſimiles propugnatores expoſcere. Omedes, ſi cladis certa expectatione deterritus, ſuos equites illò traiici nollet: cur potius in aliena vita fortunã periclitaretur? Hæc Omedi Præfectus renuntiat: & quàm poteſt demiſſiſſimè obſecrat, vt ſine eius animi offenſione, illis liceat in Siciliam reuerti, quòd iuſſi naues conſcendere, dicto non forent audiẽtes. Huc addit multa, quibus Omedem flecti poſſe coniiceret. At Omedes, vt hunc ab animi conſternatione erigeret, affirmabat certò ſibi conſtare, Tripolim militum virtute protegi poſſe, alioqui ſe non eſſe rem in dubium deuocaturum. eos enim, quorum præſidio caſtrum tenebatur, & Valerium præfectum, optimè de ſe meritum, virum ſingulari virtute præditum, cur amitteret?

Postremò in hac se esse sententia, vt id castrum sine auxiliaribus copiis defendi posset: sed à Prorege missis necessariò vtendum esse sibi, ne eius autoritatem & consilium despexisse videretur: eámque ob rem ab se illos non dimitti. His Tribuno ostensis, id muneris iniungit, vt affectos metu bona spe reficiat. Sed vbi militibus spem missionis Præfectus adimebat, maximam formidinem & terrorem inferebat: qua animi deiectione, Omedi flentes ad pedes procumbunt: & obtestantur ne se insontes hostibus ad supplicium dedat. Huius mouendi causa, etiã adiiciunt, se rusticos homines ab officio vitæque instituto per fraudem abductos, vt Messanam accederent, inermes prodiuisse, quo mitterentur loco, nulli vsui futuros. Quum apud eum querelis & precibus nihil proficerent: rebus desperatis, inde se proripiunt, & in tabernaculis abditi, commune & instans fatum miserãtur. Eo cognito, quum esset suspicio ducem cum manipulis consentire, eius signiferũ, virum fortem atque interritum, Omedes per hominem idoneum sollicitat, & edocet quanta cũ ignominia fieret, vt ad solam hostium mentionem, timore milites sic opprimerentur, vt despecta sacramẽti religione, apertè militiam defugerent. hoc non solùm eorum existimationi, cuius esset in primis habenda ratio, sed etiam vitæ fortunísque fore periculosum: quòd fugam cognitam Prorex esset supplicio crudelissimo vindicaturus. Tum orationis adhibitis illecebris, addit, de signifero nunquam se dubitasse, quin imperata facere paratus esset: sed studium eius, tarditate

& timore ducis impediri: cui incōmodo facilè præuerti posset, si signifer singulos milites adiret, qui quandam animi fortitudinē præ se ferrent: ac, quantùm posset efficere, inani metu eos explicaret, facerétque vt iter conficere non dubitarent. Hoc si esset assequutus, Tribuno misso, militum præfectura suo nomine fungeretur. Ea spe signifer delinitus, negotium aggreditur: singulos separatim ambit milites, & quibus potest rationibus, ab obsidionis opinione deducit. Hoc animaduerso Tribunus, veritus ne cũ ignominia mitteretur, & nihilo secius manipulares præscriptum officium exequerentur, signiferũ aditu ad Omedem anteuertit, & quorundam factiosorum cōtumacia, culpam prætexens, vnà cum suis omnibus, vbi primùm iussus fuerit, se viam ingressurum profitetur. id tamē omnibus precibus postulabat, vt certus equitum numerus, perterritis militibus, adiiceretur: quorum ductu ac virtute, illi animum reciperent. His ab Omede in concilio relatis, deliberatur, quot & quales equites tyronibus admisceri placeret. Qui loco, ob eius infirmitatem, diffidebant: in priori sententia permanebāt, & centum addi oportere contendebant. quibus tamen Omedes, his quæ sunt demōstratæ rationibus, non acquiescere: sed eũ numerũ ad quinque & viginti reducendũ esse dictitare, quos solutis ergastulis, ex eis qui maleficii cōuicti erāt, expleri iussit: ne de Melitæ custodia quicquã imminueretur. His rebus constitutis, duæ triremes impositũ subsidium Tripolim importāt: quo in terram exposito, vt mandatum erat, Melitam reuehun-

tur. Non ita multò pòst fit Omedes certior, hostilem classem ad Siciliam applicuisse: & eius principem, cum Prorege, de oppido Africano recuperando, vti Cæsari cùm Solimano conuenerat, per interpretem multis verbis egisse. Sed illum postquam se ad Cæsarem fallendi causa reiici cognouisset, ad oppidum Augusti progressum, arcem vi captam militibus diripiendā concessisse. Hoc satis erat causæ, ad omnem de Turcharum itinere tollendam dubitationem. Omedes tamen à pertinacia non modò nō desistit: sed etiam affirmat Meridianum Siciliæ litus præteruehi, vt breuiore vsæ itinere naues, citius in Frāciam perueniant: quod vt persuasum habeant, naucleris accitis, ex maritimis dimensionibus ostendit, ducentis passuum millibus, cursum ea parte breuiari. Gosirani, vbi spe auxiliorum se depulsos esse cognouerunt, fœminas & pueros in tutum censent esse transferendos. Itaque duas nauiculas onustas Melitam traducunt: quarum appulsu Omedi renuntiatur, Gosiranos sui tuēdi animum abiecisse, atque de fuga cogitasse: résque suas cum vxoribus & liberis abigere cœpisse: quibus ablatis, dimicandi etiam cogitationem deponerent. si saluam cuperet rem Gosiranā, naues Gosiram remitteret, vt propinquorum misericordia, ad pugnandum alacriores redderentur. Quæ sententia quum illi valde probaretur, nauiculas, antequam onus exponerent, reuehi iussit: magnísque cauit pœnis, ne absque venia res vlla exportaretur. Biduo quo hæc gesta sunt, leni vento classis Melitam appulit, portúmq; petiit, portui, qui arcem

ſubluit,coniunctum,anguſto collis iugo interiecto. Ad eius conſpectum tantus repẽte metus Melitenſium mentes occupauit, tãtáque ſequuta eſt perturbatio: vt quid potiſſimum agendum eſſet, rationem inire non daretur. Omnino duo erant oppida, quibus inſulani ab hoſtium periculo ex agris ſe ſe reciperent: vnum ſub arcis radicibus, alterum diſtans ſex paſſuum millibus. Huc viis pleniſſimis omnia importantur, pecúſque cogitur quoad eius fieri poteſt. Oppidum ſub arce poſitum, collibus vtrinque, mediocri maris ſpatio intermiſſo, continetur. Ex his collibus magna altitudine impendentibus, quia hoſtes ab aperto latere muro cuſtodias facilè ac penè nullo labore deturbarent, & iis, qui muro deiecto in oppidum irrumperent, reſiſtẽdi facultatem adimere poſſent: oppidum defendi non placebat. Arx vnicum omnibus, & ex agris confugientibus, & oppidanis perfugium relinquebatur: tametſi vix antea caperet Equites, & qui ſub Equitibus ſtipendia merebant. Alteram plebis partem vrbs recipiebat. Ad has anguſtias hoc etiam accedebat incõmodi, quòd quum tanta multitudo admitti tecto non poſſet, verùm ei neceſſariò foret, flagrante Canicula, ſub ſolis ardoribus interdiu, & ſub dio noctu, permanẽdum: hæc, neque corpore laborem tuliſſet, neque ab odore tetro, quem ſitus & excrementorum colluuies generaſſet, erant morbi longè abfuturi. Calamitatem quoque non parum augebat difficultas aquæ maxima: cuius quum nulla extra pluuiam eſſet copia, neque ad bibendum, ſed ne quidem illa ad lauandum

ſuppeteret, aut erat deditio ſequutura, aut populus miſerè excludendus, & hoſtium crudelitati exponendus. Subductis & ad terram deligatis nauibus, hoſtes ad prædam emittuntur. hi latè peruagati, regionem quæ ad arcem vergit, depopulantur: ædificia, & quicquid in agris reliquum erat, vel incēdunt, vel diripiunt: pecus, quod repentino eorum incurſu in oppidum cogi non potuerat, ſuffodiunt: nullum denique perniciei genus prætermittunt. Conſtat inſula tota vna & continenti petra: ea re fit, vt quibus locis terra exurgit, lapidibus conſperſa ſit. Hinc accidit, vt illic agri quicquid eſt, hoc totum incolæ, ſeu purgando, ſeu diuidendo, lapidibus ſine luto in muri ſpeciem aggeſtis incluſerint: quæ res vias publicas vſqueadeò anguſtas & obliquas reddidit, vt illinc niſi magno labore non liceat euagari. Aduerſus hoſtium incurſiones ea commoditate noſtri ſubleuati, hæc remedia comparabāt. Coactis nauium propugnatoribus, nonnullis admiſtis remigibus, Guimeranus eques Hiſpanus regionum peritos adhibet: quorum ductu, occulto itinere profectus, opportuno loco ſuos in inſidiis diſponit, vt diſperſos hoſtes, ſine metu ad prædam properantes, excipiat. In hunc incidūt pauci, qui elati prædæ ſtudio, ab agmine lon gius proceſſerant: neque vlla alia rei gerendæ facultas oblata eſt. Interim claſſis princeps, arcis naturam contemplatus, eam præſentis occaſionis nō eſſe iudicat. Hoſtes vexādis regionibus biduo conſumpto, naues ſoluunt: & ſex milibus paſſuum progreſſi, con ſiſtunt, ac denuo milites effundūt: &, ne vlla pars in-

ſulæ immunis à calamitate relinqueretur, profligato eo ſpatio quod à mari ad vrbem intercedit, ad eam ſe incitant. Eò tanta vtriuſque ſexus multitudo ſeſe concluſerat, vt nullus vacaret locus: ſed qui bello apti eſſent, quíue hoſtium vel aciem oculorum ferre poſſent, admodum pauci erant. In eos imperium gerebat Georgius Adorneus, vir probatæ eximiæq; fortitudinis, qui denegato ſibi ab Omede militum auxilio, reiectus ad multitudinis præſidium, triginta ex nauium defenſoribus ad ſui cuſtodiam aſciuerat. Conſpectis hoſtibus, eos cohortatus, nõnullis ex paſtorũ & oppidanorũ multitudine nominatim euocatis & interiectis, in hoſtium occurſum eduxit: vt hoſtes, locis aſperis, in collem in quo oppidum poſitum eſt enitentes, morarentur: quod ad oſtentationem potius faciebat, quàm quòd vim hoſtium reprimere poſſe ſperaret. Noſtri, vrbis propinquitati & æncarũ cannarũ adminiculo confiſi, audacter ſe illis opponebãt, & quãdiu æqua ratione pugnari potuit, pauci multos aſcenſu prohibebant. At vbi illos circunfundi, & longo circuitu montẽ ſuperare conſpiciunt, ne circunuenti reditu excludantur, accepto ſigno, paucis vtrinque deſideratis, pedem referunt. diſceſſu noſtrorum, illi iugum collis adepti, ſimul nullis reſiſtentibus, ſuburbiis potiti, conſidunt & caſtra faciunt. Inter ſuburbia & oppidum tantum eſt interualli, quantum cannæ tueri poſſunt. Hi explorandi cauſa rari & diſperſi, ne cannarũ iniuriæ paterent, incitato curſu percurrunt: muróque ſuccedentes, ſclopetis noſtros tentare & laceſſere. Hos quoque

nostri sclopetis summouebāt, sed ob eorum mobilitatem non multùm proficiebāt. Nox prælium diremit. Explorato vrbis situ, duabus partibus, colle prærupto & directo, hāc hostes extare conspiciunt. Huius collis tertia pars aspera quidem & ardua, sed lōgè decliuior, in vallem ducentis passibus latā desinit. Hanc transeuntes, mons vrbi contrarius excipit ascensu aspero, præcipiti & circunciso, cuius montis fastigium vrbem exæquat. Municipes huic parti minus diffidentes, nullas turres, nulláque propugnacula excitarant, quibus irruentes hostes à látere propellerent: sed in speciem, muro lapidibus luto compactis extructo, fuerant contenti: qui quum per se infirmus sit, atque adeò vetustate corruptus, sua sponte collabitur. Quo ab hostibus animaduerso, partem, vnde à suburbiis ad vrbem est aditus, quòd sit operibus valde munita, omittunt: atque ab infirmiori loco rem sibi gerendam esse constituunt. Huc delati, aream cannis muralibus noctu substernere, atque aggerem iácere parabāt: & quum propter arborum raritatem materia deesset, valuis, omníque ligni genere, à tectis suburbiorum ereptis, ad opus vtebantur. Hoc, ex strepitu cognito, tantus mœror municipes excepit: vt suæ vitæ durius cōsulere plærique inciperent, ac se de muro dare præcipites, omni contentionis opinione remissa. Adorneus tamē non se deserit. hos verbis cōfirmat, & spe auxiliorum obiecta, à metu erigere conatur. At vbi se frustrà niti intelligit, à periculi magnitudine sibi timens, ad Omedem nuntium allegat, vt eum doceat, qui multitu-

dinem versaret timor, & ad quas ipse angustias redactus esset: Nisi summissis auxiliis, formidine municipes liberarentur, vltimam perniciem quinque & viginti millibus capitũ mox subeundam esse. Nuntius, quum ad arcis oppidum peruenisset, & obseratis portis, ingressu tardaretur, ad eum locum se contulit, qui Frãcorum custodiæ commissus erat, vt per mare intromitteretur. Tum ad opus excubabat Villagagno, & vigilias circuibat: is ad equorum fremitum exclamat, quis aduẽtaret. nuntius, patefacto nomine, respondet maximi se momenti mandata afferre: rogare vt continuò ad Omedem traiiciatur. Exceptus lenunculo, ad Omedem festinat. hoc audito, magna illum inuasit solicitudo: neque illi satis animo succurrit, periculo tam præsenti quem maximè opponeret. Quum in hoc explicando se exerceret, nuntius Villagagnonem commemorat. Hunc approbatũ, eo ipso temporis pũcto, accersit. Adeuntem verbis & oratione liberaliter prosequitur. Narrat, quantum ei semper tribuisset: Rempub. tempore maximè difficili, eius operam & diligẽtiam vehementer exposcere. hostes enim vrbem obsidione cinxisse, quibus id fieri poterat locis: in ea tamen, qui arma ferre possent, magnum numerum inclusum, quorum præsidio vrbs planè teneri posset, si viri idonei imperio regeretur, qui vbi vsus incidisset, remedia compararet. Eis Georgium Adorneum præesse, sed omnia per se negotia obire nõ posse. Villagagno respondet, Reipub. commoda, prima semper apud se fuisse, suáque vita potiora: neque quicquam opta-

tius ſibi poſſe contingere, quàm vitam profundere, cuius rei cauſa in lucem editus fuiſſet. Verùm ſe vſu rerum didiciſſe, plebem vigiliis & periculis inſuetã, facilè inſolenti labori ſuccumbere, ac pariter viribus & animo concidere. hinc fieri, vt quandiu munitionibus contecta ſit, ſéque à periculo abeſſe credat, æquo animo omnes acerbitates perpetiatur: ſed vbi tormẽtis murus diſcuti cœperit, & ab animi fortitudine præſidium petendum ſit, proiecta ſalutis cura, protinus deficiat. In eum caſum defenſoribus opus eſſe, non ignauis, ſed ſtrenuis, ac laboris patientiſſimis, & qui non metu, ſed gloria permoueantur: neque pauciores centenis ad eum vſum eſſe neceſſarios. hos ſibi ex equitibus Omedes adiungeret, ſi rem ſaluam eſſe vellet. Huic Omedes oſtendit, equites & nauium propugnatores arcis cuſtodiæ à concilio aſſignatos eſſe, cuius decretum non poſſet immutare. Attamẽ id ad ſe recepturum, vt in præſentem occaſionem, alio conſulto non expectato, ei ſex equites concederentur. Quibus opponit Villagagno, ſex viros, euerſo muro, non eſſe irrumpentes hoſtes repulſuros: neque aliò ſex virorum ſubſidium pertinere, quàm vt eos ad certam ſine honore perniciem perduceret. Reſpondet Omedes, eã rem non eſſe diſputationis, ſed inſtantis periculi. propterea ſi ille animo ita paratus eſſet, ſine cunctatione eam operam Reipub. nauaret. quòd ſi metu periculum defugeret, ſe alium rogaturum. Ille, vbi rem in exiſtimationis diſcrimen pertrahi videt, Non ſum, inquit, Princeps, tam acuto ſtimulo vrgendus: faciam vt intelli-

gas ad ignauiam, hanc meam rationem non ſpectare: & iam viæ me committã, ne in lucem extractus, ingreſſu prohibear. Excedens igitur Villagagno, ſex è notis & domeſticis euocatis, iumenta nactus quæ ex gregibus caſu obuenerant, viam ingreditur: tantúmque omnibus profectionis fuit ſtudium, vt pars graui armorum pondere onuſti, abſque ephippiis iumenta conſcenderent: & frænis deficientibus, in os immiſſo funiculo, viam conficerent. In hunc modum progreſſi, albente cælo, quà erat curſus commodiſſimus, concitatis equis, ad vrbem perueniunt: & occluſis hoſtium vicinitate portis, in foſſam ſe proruunt, ac feneſtris quæ in vſum tormentorum relictæ ſunt, ad munitiones enituntur. Hos introductos, magna hominum turba circunſiſtit, & de auxiliis, quid afferrent ſpei ſciſcitãtur: quos bono animo eſſe iubet Villagagno, & ſpe auxiliorũ iniecta confirmat. Deinde, ad Adorneum ſe confert. Hũc docet quem cum Omede ſermonem de propugnationis ratione habuerit: quídque aſſequutus eo fuerit. denique, huc ſe redactos eſſe, vt ab alieni ſubſidii expectatione depulſi, in animi virtute ſalutis fiduciam conſtituãt. Huc etiam curam omnem profundi oportere, vt à terrore populi mentes explicarentur: & quibus locis ab hoſtibus noceri poſſit, prouiſo remedio anteuerteretur. Cõmuni deinde cõſilio res geritur: & perſpecto muri vitio, quò hoſtes animum appellebãt, quoniam obſiſti non poterat, ne murus cannis tentatus breui corrueret: hac ratione occurritur. Poſt murũ foſſam ſedecim pedes latam, altam decem, directis

lateribus perducũt. Huius interiori labro maceriam
tres pedes eminentem, in ſex pedum latitudinem,
extruunt: quam amplius extare conſultò noluerunt,
ne globi murum traiicientes, ſimul maceriam labe-
facerent, atque foſſam implerent. Ad extremas foſ-
ſas ex duobus tectis à ſummo decurtatis, & maceriæ
adæquatis, cæca propugnacula conſtituerunt: vt ho-
ſtes foſſam ingreſſos, in maceriam connitentes, ab
látere, ſine vllo periculo, tormẽtis deturbarent. Quæ
munitiones, tantæ multitudinis labore nõ intermiſ-
ſo, breuiſſimo tempore perfectæ ſunt. At hoſtes hæc
difficultas morabatur. Cannæ murales ſex milibus Canne murales
paſſuum erant eis ducendæ, via aſperrima, magnis
& arduis rupibus, nulla iumentorum facultate. Hoc
ſeruorum robore ſupplere conati, labore continen-
ti, aliquandiu proceſſerunt. Nam quum viarum an-
guſtiæ & aſperitates, cannas rotis impoſitas non ad-
mitterent, rotis eximebant, ac nudas efferebãt. Mox
æquum locum aſſequuti, rotas admouebant, & ma-
gno conatu onus trahebant. ſed quoniam id erat ſæ-
pius repetendum, & ob vehementem æſtum ple-
roſque animus reliquerat: rotis àliquot effractis, ab
itinere ſuperſederũt: reuocatíſque qui obſidioni in-
cumbebãt, ad naues ſunt reuerſi. Ex perfugis, cogni-
tum eſt his cauſis hoc quoque acceſſiſſe, quòd naues
erant longo interuallo defenſoribus vacuæ relin-
quendæ, aut copiis perexiguis vrbs oppugnanda.
Quorum vtrumque recipere caſum poſſet. ſi enim,
nauibus inanibus, Cæſariana claſſis occurriſſet: & ea
conſpecta, hi ad ſuas conſeruandas naues ſe incitaſ-

ſent: túmque obſeſſi ad pugnam erupiſſent, copiis ab Omede miſſis confirmati: ea itinerum aſperitate, quum referre nõ potuiſſent, cannas amiſiſſent. Quæ cogitatio certiſſimam obſeſſis ſalutem attulit. Quãuis enim accidiſſet, vt obſeſſi ab hoſtibus ſe protegerent, tamen ob aquæ inopiam, obſidionem diutius non tuliſſent. Vbi ſuburbia eſſe indicauimus, plures optimi ſaporis fontes largiter ſcatent. Huic copiæ municipes cõfiſi, fodiendis puteis animum non intenderant: paucis exceptis, qui aliunde aquam̃ eſſe ſibi colligendam non ducentes, effoſſis domi ciſternis, pluuia vti maluerãt. Harum inito numero, & capitum cenſu relato, compertum eſt, ad duos cyathos cuique quotidie vix ſex dierum aquam ſuppetere. Hoſtes reductis tormentis, ad inſulam Goſiram con tendunt. In caſtellum incolæ ad vnum ſe incluſerãt. Hoc quia à mari parum abeſt, expugnationi opportunius eſſe iudicatum eſt. Itaque cannis muralibus productis, tertia inita vigilia, murum percutere incipiunt. Hunc impetu continenti nullis prohibentibus incutientes, breui tempore labefaciunt. ſed ea eſt loci natura, vt ſi vel murus deiectus eſſet, paucis tamen defendẽtibus, maximæ quæque copiæ aſcenſu prohiberentur. Nam in rupe editiſſima quoquouerſus abrupta caſtellum eſt poſitum, inflexo, accliui & anguſto ſpatio, quà vix ſinguli carri trahî poſſint, ad introitum relicto. Municipes, hoſtium aduẽtu, principem, cui tantùm ab Omede tribui demonſtrauimus, adeunt: atque animo perturbatum obteſtantur, vt Rempub. fortiter ſuſcipiat, neu ſe deſerat:

ſed audacter, quid cuique ſit agendum, imperet. Is ſpe auxiliorũ lapſus, profitetur ſe nihil habere quod tanto malo opponat: atque omiſſa ſuorum cura, tecto ſuccedit ac delitеſcit: ſic paratus, vt quem caſum fortuna obtuliſſet, quàm æquiſſimo animo ferret. Vbi populus ſe deſtitutum perſpicit, tanto metu cor ripitur, vt vnà corporis & animi viribus caderet: & ab propugnationis artibus, ad lachrymas, inſtantíſque calamitatis commiſerationem auerſus, murum defenſoribus nudaret. Neque dum nocte pugna intermittitur, aut demolitionem obſtruere, aut omnino rem vllam adminiſtrare quæ ad ſuam ſalutẽ pertineret, animum induxerũt. Poſtridie, quum prima luce ad opus hoſtes redirent, ſed iniquitate loci non ita multum promouerent: vir Anglus, cannarũ magiſter, animo reuocato, honeſtam mortem turpi ſer uituti anteferens, ad pugnam ſe inſtituit. Profectus quò negotium poſtulabat, aptatis machinis, hoſtes globis impetit, & illato damno cogit vt remiſſius & lenius deinde opus agerent. ſed hunc paulò poſt, tranſlatis cannis, globis aſſequuti, hoſtes interficiũt. Qui viſum eò ſe intulerant, caſu exterriti, quum reliquum haberent neminem, quem huic muneri præficerent, animi inopes & conſilii, ad principem recurrunt: vt ſecum rationem iniret, quid potiſſimum adminiſtrãdum eſſet. Hîc magno animorum & ſententiarum congreſſu decertatur, nec inter eos de pugna conuenit. Poſtremò, re in deſperationem adducta, à pugnæ ſubſidio ad deditionis conſilium recur runt. Tum de conditionibus agitur, & qui eas perfe-



rat, eligitur. Cuius legationis hic erat exitus, Si omnibus incolumibus effugium pateret, arcem hostibus relictum iri. Legatus, de muro fune demissus, ad classis præfectum deducitur, quæque habet mandata pronuntiat: atque demississimè obsecrat, vt misericordiæ locus relinquatur. Ad hæc respondet Princeps, priusquam globi murũ attigissent, ad aliquam æquitatem descendi potuisse: re verò ad extremam deditionis necessitatem perducta, à victis conditiones ferri non debere, sed hos eis vti, quas victor præscriberet. se tamẽ naturæ lenitate ad misericordiam propẽsum, non esse pro eorum meritis, qui visis Solimani signis portas suas obstruxissent, pœnas exacturum, si se suáque omnia statim dederent, & eius misericordiam experirentur. Atque hunc ita dimittit. Hoc responso inclusis denuntiato, animus fluctuare, atque in diuersum trahi cœpit. Tandem superat eorum sententia, qui morti seruitutem prætulissent: sed dux eorum sibi conandum adhuc esse arbitratus, ducenta capita, quæ ipse nominasset, necessitate seruitutis liberare, remisso interprete, id enixè contẽdebat. Sed his ad quadraginta redactis, Bascianus comminatur, nisi statim mandatis paruissent, nullam eis postea colloquii fore potestatem. Qua denuntiatione perculsi municipes, quum aliunde nulla esset euasio, imperata faciunt, & portas obstructas aperiunt. Erat in eorum numero vir Siculus, cuius insignem animi (dicámne fortitudinẽ, an crudelitatem?) prætereundam esse non putaui. Hic contracto apud Gosiranos domicilio, vxore ducta, duas

ex ea filias ſuſtulerat: quas viro maturas, ne, quum in poteſtatem hoſtium incidiſſent, oculis ſuſtinere cogeretur, quod animus ferre nõ poſſet, ambas gladio traiicit: eandem fortunam tulit mater, ad filiarũ necem accurrens. Hoc facto, baliſtam & ſclopetam inſtruit, fores domus aſſeruat, ac hoſtibus ad prædam feſtinãtibus ſe obtrudit: duóſq; audacius progredientes miſſilibus appetit & perimit: deinde ſtricto gladio reliquos irruentes moratur: donec circunuentus confoditur. hoc modo ſe & familiam ſeruituti præripuit. Caſtrum hoſtes diripiunt, habéntque vniuerſam ad vnum multitudinẽ prædæ loco: captiuámq; ad naues abducunt. Ea ſex millium trecentorum numerum explebat. Baſcianus, vt fidem de quadraginta liberãdis præſtitiſſe videretur, quos ſenium & aduerſa valetudo viribus confecerat, à vinculis eximi ac manumitti iuſſit. Eorum principem iniuriam ſibi fieri querentem, quòd vnà emiſſus non eſſet, expoliatum addixit remigio. His rebus biduo cõſumpto, caſtro incenſo, totáque inſula exinanita, ad reliquam belli adminiſtrationem properantes, nacti idoneam tempeſtatem, ad Africam vela dirigunt. Poſt eorum digreſſum, Omedes de caſu Goſiranorum, & detrimento Melitenſibus illato, Proregem Siciliæ certiorem facit. Sed vt deditionis turpitudinem elueret, euocatis autoribus ſibi notis, edixit, vt per totam Europam dimiſſis literis, hanc opinionem in animos hominum infunderent, Quandiu caſtri præfectus anima exuperaſſet, caſtrum à periculo longè abfuiſſe: ſed quãdo ſe egiſſet quò vſus inciderat, & ictu tor-

mentorum elatus esset, perculsam destitutámque multitudinem, ad deditionis consilium deuenisse. Hæc dissipata fama adeò valuit temporis opportunitate: vt, quum deinceps exponeretur, quo modo res euenisset, fides fieri non posset. Aliquo pòst dierum interiectu, Aramo Legatus orator regius, ad Solimanum Imperatorem iter habens, Melitam duabus triremibus & vna biremi aduehitur, & iactis anchoris Omedem conuenit, eíque in concilio exponit, quæ à Rege ad eum haberet mandata: suámque operam ex Regis præscripto ad omnes casus pollicetur. Omedes huic actis gratiis, quanta ad id vsque tempus perpessus esset, quídque adhuc periculi in arcem Tripolitanam immineret, amplissimè narrauit. Hæc autem periculi erat suspicio, quòd ex quo Cæsar Tripolim Equitibus attribuerat, ob summam ærarii tenuitatem, hi, quæ deessent munitionibus, perficere non potuissent. Ea de re, AEneobarbi in Franciam traiectione, Cæsarem certiorem factum, omnibúsque precibus rogatum fuisse, vt huius loci curã Equitibus adimeret, ac in se reciperet. sed hoc eum respõsum dedisse, Tripolim sine Melita seruari nõ posse, atque vnius salutẽ in alterius salute consistere: Equites, aut Melita excederẽt, aut vtranque sustentarent. Postremò, per excellens Regis in Equites studium, & singularem beneuolentiam, Aramo rogatur, vt labantem atque inclinatam fulciret militiam: totóque animo insisteret, vt ab itinere ad hostes diuerteret, & ab oppugnatione Tripolitana eos deduceret. Quòd si suo nomine adipisci non pos-

ſet,id autoritate regia niteretur. Hoc & honori ſibi, & Reipub. Chriſtianæ commodo futurum. Vt Aramo heri ſui fidem tam intimè implorari perſpicit, cuius inſignem charitatem erga eum ordinem paulò antè ad concilium pertulerat: etſi multis rationibus ad iter inſtitutum trahebatur, ne tamen Omedes queri poſſet, tali tempore proiectum ſe & deſertum fuiſſe, precibus aſſentit, & quãtum gratia apud Baſcianum valeret, ſe conaturum pollicetur: déque eo quod cõſequi poſſet, ſi celox ad hũc vſum tribueretur, quamprimùm ſignificaturum. His rebus agitatis, accepta celoce, ad Tripolim curſum inſtituit. Eò deuectus, cernit cannas murales iam in terram expoſitas: foſſáſque duci cœptas, quibus hæ ſine periculo ad muros producerẽtur. Non tamẽ ſe abſtinuit quin ſummis precibus, totóque animi conatu, ab oppugnationis ſententiã Baſcianum deducere contenderet. ſed hoc reſponſum tulit, Equites, amiſſa Rhodo, fidem ſuam Solimano obſtrinxiſſe, contra Turchas arma ſe nunquam eſſe laturos: ſed eos ſpreta iuriſiurandi religione, quum à Carolo Cæſare Solimano bellum inferretur, non ſolùm operam conferre, ſed etiam ipſo quieſcente, quantum poſſent efficere, ſuo nomine Turchis moleſtiam exhibere. Hos nouiſſimè ad Africanum oppidum, magnũ Dorguto incommodum attuliſſe: quam iniuriam bello perſequi Solimanus decreuiſſet: eámque ob rem maximè claſſem inſtruxiſſet, vt eos Africa expelleret: huius non poſſe mãdatum negligi. Aramo, quum propoſitum non obtinuiſſet, in animo defigit, nullam

temporis partem intermissa nauigatione, Solimanum esse sibi adeundum: vt ab hoc impetraret quod Legatus concedere non poterat. Itaque à Legato petit, vt sua voluntate id sibi liceat. Hoc ipse abnuit, & paucorum dierum moram postulat. dum expectatur quis euentus obsessos excipiat, Aramo spe profectionis depulsus, quatuor à classe passuum millibus naues suas promouit: atque ad nutum Basciani, in anchoris oppugnationis exitum operitur. Nostri vt conspiciunt operibus hostes animum intendisse, cannis fortissimè rem gerunt, ita vt insolentius progredientes, & machinas incautius proferētes, earum aliquibus effractis, regredi vltra pilarum iactum cōpellerent: & mediocri latitudine fossas agere, nostrísque obducere, quibus tecti sine periculo in opere versarentur, machinásque promouerent. Erat hoc eis non difficile, quòd & castro magna obiecta sit planities soli arenacei, & seruorum maxima copia valeant. Hoc artificio, vsus tormētorum, quibus omnia nostri sperauissent, interiit. Quinimo hostes effecerunt, vt viis cæcis occulti, fossæ castri succedentes, cannas maximas sex & triginta, nullo suo malo, contra arcem collocarent: tum fuit vsquequaque nostris iniqua contentio. Castelli murus cæmentis luto compactis constructus est: turribus ab angulis, angusto spatio vlterius exporrectis, sabulóque refertis congesto. Murum quoque vetustas sic affecerat, vt ariditate lutum in puluerem desinens, penitus deflueret: atque coagmenta lapidum glutino destituta dehiscerēt, antequam Brachamondus eques Hispa-

nus,huius loci procurationem adeptus,animaduersum vitium calce obduceret, totúmq; murum dealbaret. Operibus perfectis, hostes hoc ordine in aduersum murum cannas statuerunt. Duodecim,eodem temporis articulo ignem concipientes, vnum omnes impetum faciebant. Mox,dum inanes referciuntur, sequentes duodecim,flamma pariter comprehensa, globos ad eandem contusionem, quam priores,eodem vestigio eiaculabantur. Protinus ordo tertius hoc exemplo erumpebat. Ita eueniebat, quum nulla pars temporis à pugna intermitteretur, vt & murum afflictum muniendi, & omnino in eo consistendi facultas eriperetur. Fœlicitate maxima contigerat,vt quam muri partem hostes appeterēt, ea esset substructionibus & aggere obiecto firmissima: quibus munitionibus,globi quum murū traiecissent,tardabantur. Accedebat, quòd globi, supremum fossæ labrum transuolantes, muri fastigium quasi ad amussim abradebant, tanta inferius altitudine relicta, quanta ab imo summa fossæ extabant labra: quæ altitudo,quòd scalas non admittebat,nostris maximū solatium præbebat. Erat inclusorum in numero, Prouincialis Cauaglionensis, qui longa motus eius regionis consuetudine, à Christiana religione defecerat: & mercede iandiu nostrorum consilia hostibus efferebat. Hic seu loco timeret, seu pactione cum hostibus ita conuenisset, ad eos transfugit: cognitísque antea castelli omnibus incommodis, quid in munitionibus perfectum non esset,quáque murus attētandus esset,hostibus enun-

tiat. illi hoc audito, quò is indicauerat, torméta prouexerunt. Partem indicio cognitam Principis habitatio imbecillam reddiderat. hæc enim castri mœnia contingit, eundémque cum castro murum habet. Supremum domus tabulatum, receptui Principis erat accommodatum. Cui subiectum spatium, vsui cellæ promptuariæ erat attributũ. hinc fiebat, vt nullis structionibus, aut aggesta terra, ea pars mœnium firmaretur. Ostẽdimus summa fossæ labra ab imo solo tãtùm exurgere, vt quum globi transmissi murum ad libram discuterent, ipsius tamen labefactati summitatem scalæ productæ pertingere non possent. Hoc, ne hostium, muri infimi subruẽdi propositum impediret, ii, effossa quantum sibi satis esse visum est terra, & egesta, vsq; eò cannas demiserũt, vt certissimè locũ à perfuga notatũ attingerent. Intẽtos operi tegebat fossæ paries olim à Cæsarianis aduerso castro trãsductus, vt arenas in fossam profluentes sisteret. hic paries, vt ignis cannis admouetur, deiicitur: & ad muros globi perueniunt, eósque breui tẽpore perfodiunt. pars muri superior, habitatione principis, cellǽque testudine muro innitente aggrauata, frequenti commotione cœpit procumbere. Huic periculo quum nostri milites nullũ remedium inuenirent, tantus eis timor, tantáque animi perturbatio incessit, vt palàm & apertè, proiectis armis, ab officio discederent: & spem extremam salutis in deditionis subsidio collocantes, ita per honestissimos sui generis inter se colloquerentur, debere se suæ salutis rationẽ habere: quoad licuerat, se satis officio fecis-

ſe:re verò deſperata & perdita, non eis eſſe ſuccenſendum, ſi ſibi conſilium caperent. Gaſpar Valerius Allobrox, vir à prima pubertate, ob animi præſtantiam perpetuámque vitæ fœlicitatem, ab Equitibus maximo in honore ſemper habitus, & propterea graui hoc tempore, caſtelli imperio præfectus fuerat. Is re cognita, aduocato ſacerdote, in templum conceſſerat, vt confeſſionis religione conſcientiam ſuam expiaret, & inde ſecurius periculum iniret, ſuóque exemplo milites in officio contineret. in hoc occupatum nonnulli eorum qui inter milites primas tenebant interrumpunt. Exponunt, milites ſic animis cecidiſſe, vt priſtinæ virtutis immemores, neque vi, neque pudore retineri potuiſſent, quominus murũ cuſtodiis vacuum cõtra imperium deſeruiſſent: eóque rem rediiſſe, vt ſerui quatuor, catenis vincti, quà murus ſuffoſſus erat, ad hoſtes transſfugiſſent. Valerius rei iniquitate permotus Equites accerſit, apud quos ſe in tantis malis derelictum queritur, ac de ſalute communi orat & obſecrat, vt operum aliquam rationem inſtituant, quibus auerſo periculo milites ſe colligerent, & ad dimicandum animum reciperent. Poëſius Francus, maximi vir animi, vſu rerum & temporis prærogatiua cæteris anteibat. hic pro ſociis verba facit, & militibus contumelioſis vocibus caſtigatis, quòd tam leuiter animo defecerãt, oſtendit rem non ita profligatã eſſe, ſi ad ſe redirẽt, vt ſpes nulla ſalutis ſupereſſet. Inde aduenire ſe, quò eſſet illatum damnum: cellam promptuariam, quanuis magno labore, citò tamẽ refici poſſe, ſi ſtudium ad-

hiberetur: & fornicem, cuius casum præcipuè formidarẽt, asseribus & sublicis subiectis suffulciri, dum cella cõpleretur. Præterea turrim nõ è longinquo ad eam partẽ spectare, qua hostibus esset in arcem inuadendum. inde ad fornicem fossam ducere licere, & hanc ab labris vallo intercludere, ne proruentes hostes se diffunderent: sed conferti, & intra fossæ angustias coacti, ad turrim rectà peruenirent. Huc, si quicquid erat tormentorũ, conferretur, & in aduersos hostes obiiceretur, certissimo fore ad eos propulsandos remedio. Quinetiam si ad ipsas muri ruinas res gerenda esset, virtuti tamen locum non defore: quòd quandiu hostes cum nostris manum consererent, eorum cannæ à pugna supersederẽt, ne vtrique pariter protererentur. Denique præstare, fortiter pugnando, vita cum honore defungi, quàm hostium crudelissimorũ arbitrio deditos, ad supplicium summósque cruciatus trahi. In eam sententiã, hoc, Equitũ, suóque nomine profitetur, si se milites ad pristinã alacritatẽ reuocarẽt, & Equitibus pugna defessis vellẽt succedere, sese primum hostium impetũ laturos. Hunc dicentem arcis argozilus Hispanus, maximæ inter milites autoritatis, interpellat, Francorum & Hispanorum longè diuersam esse rationem: Frãcos amicitia & fœdere cum Turchis coniunctos, quibuscum bella continentia Hispanis intercederent. item quotquot essent castro conclusi, Hispanos, aut aliunde ex Cæsaris esse ditione, paucis exceptis Francis, quibus regiæ naues hostilibus admixtæ profugio paterẽt. Ea fiducia, Poësium hanc animi præsentiam

oſtentare, ſed Cæſarianis certam eſſe perniciem paratam, niſi tempori ſibi proſpicerent. Breuem eſſe conſulendi occaſionem, quum vſque ad veſperam murus ſtare non poſſet, niſi hoſtes pugnæ finem facerent. Quòd ſi vel diutius oppugnatio ſuſtineretur, ſpe tamen auxiliorum militibus adempta, hoſtibus tandem cedendum eſſe, atque inuitam deditionem ſubeundam. Aſſentiunt qui aderant equites Hiſpani, Tribunus militum & Quæſtor: quíque militum nomine conuenerant. Quibus iratus Poëſius, conuitiis Argozilum proſequutus, à concilio ſe ſubducit: atque, Agite, inquit, Equites vt lubet: hac certè re calamitatem meam conſolabor, quòd me militiæ noſtræ officium integerrimè præſtitiſſe affirmare potero. Hunc reliqui Franci, & vnicus Germanus, qui cum eo aduenerant, conſequuntur. Eorum diſceſſu his de rebus agitur liberius. Quæ Argozilus propoſuerat, plenius & vberius repetit: ac tot virorum, fœminarum & puerorum periculo Valerium ad miſerationem cohortatur: quibus omnibus, ſi caſtrum irruptione caperetur, miſeram ſeruitutem aut mortem crudeliſſimam pati neceſſe eſſet. Dum adhuc aliquid ſpei reſtabat, ad aliquam cõpoſitionis æquitatem hoſtes adduci poſſe: qui, ſi expectaretur, dum radicitus murus conuulſus eſſet, nulla erant poſthac vſuri pacis conditione. Valerium Poëſii oratio anxium detinebat, & à concionis iudicio diſtractum ad pugnæ cogitationem reuocabat. ſed eò acrius commemoratione periculi, ex militum metu, à perterritis vrgetur. in eam occaſionem dux nouorum dele-

ctuum deierat, suæ non esse potestatis, vt vel vnum ex suis ad muri custodiam adigeret. Qua periculi repræsentatione Valerius adducitur, vt mittēdum esse putet, qui murum dirutum, quæque de operum ratione Poësius disseruisset, diligenter inspiceret. Huic rei Guiuarrus Hispanus præficitur, cui propter ætatem, & rei militaris scientiam milites plurimùm tribuebant. Is refert damnum opinione maius acceptum esse, neque contra talem tormentorum impetum, ad noctem murum posse consistere: longum & impeditum sibi videri quod Poësius ostenderat. His in concilio agitatis, vt iam omnia Valerium deficere viderentur, hunc impellunt, vt è muro facta significatione, hostes ad colloquium euocentur. Accurrentes interrogantur, an liceret obsessis ad Bascianum de compositione legatos mittere. Dum affertur responsum, de cōditionibus deditionis in concilio disputatur. Hic tandem omnium sententiarum fuit exitus, si omnibus ad vnum pax esset, atque incolumibus excedere concederetur, & ad transmittendum naues attribuerentur, castrum relictum iri. His cum Basciano tractandis conditionibus Hispani duo delegantur, vnus eques, qui suorum nomine promitteret: alter Guiuarrus, cuius suprà mētionem habuimus. Hi facta potestate, ad hostes proficiscuntur, quæque habeant mandata, exponunt. Bascianus his auditis, hac lege quò cuperent se descensurum esse pronuntiat, si de omnibus impensis sibi satisfieret. Legati multis rationibus propositis, quibus sumptuum rationem non habendam esse contendebāt,

expenſas reſtitui poſſe negāt: quúmque Baſcianum minimè mouerent, re infecta ad caſtrum ſe referūt. Hos Dorgutus Raiſius cōſpicatus, vana deluſos pollicitatione remoratur, dum à Baſciano rediret. Ad quem quum ſe contuliſſet, monet ne ſua ſponte deditionem maturantes repelleret, eis omnia liberaliter promitteret, & quum ſibi liceret, ad libitum concederet: ne à præciſa ſpe miſericordiæ ad animi fortitudinem recurrentes, vltimam neceſſitatem experirentur. Murorum magna iam parte deiecta, ſi reliquam labefacere perſeueraret, caſtrū expugnatum maximo labore refectum iri: & periculum fore, ne poſt claſſis profectionem, eius reſtituendi facultatem Cæſar præriperet. Hac monitione, mutata ſententia, Baſcianus Legatos reuocari iubet. Reuerſos verborum illecebris irretit, vt credant Salaraiſio & Dorguto ſe remiſiſſe quod de ſumptibus repræſentandis antè conſtituerat: atque horum gratia, quam obſeſſi pacis conditionem obtuliſſent, ratam habere: vtque magis falleret, vanam iuriſiurandi religionem per caput heri Solimani, dictis adiungit, atque in fraudem illectos ita dimittit. Hos cominus inſequitur homo inter Baſciani domeſticos exquiſitus, qui Valerium aduocaret, vt cum Baſciano de nauibus pro capitum numero præparandis tranſigeret. quòd ſi Valerius hæſitaret, atque egredi dubitaret, affingeret exquiſitus ille, ſe obſidis loco remanſurum: interim ſingulorum obſeruaret vultus, quid fiduciæ præ ſe ferrent. Intromiſſus, Valerio legationem exponit, & cunctanti verbis affert confidentiam, ac de

Bafciano docet non effe metuendum, ne promiffo non fatiffaceret, quum fidem iureiurando per caput heri aftrinxiffet, quod ei nationi omnium grauiffimum & fanctifsimum effe folet. Sumpto ad refpondendum fpatio, Valerius rem ad concilium defert: variæ dicuntur fententiæ: huc tamen omnium fpectabat exitus, ex temporis & rerum iniquitate confilium capi oportere. Eò calamitatis fe redactos effe, vt hoftium manus effugere non poffent, fed eorum nauibus fibi effe trāfeundum. Itaque præftare vnius periculo experiri quid effet in eis conftantiæ & fidei, quàm expectare dum vniuerfi poteftatem fui faciētes fide non feruata perirent. Eos, homines barbaros, iracūdos & fuperbos effe. Si Valerius ad colloquium inuitatus prodire recufaret, hoc occafionis loco fumptum iri fidei violandæ, cui credēdum effe non duxiffent. Secundum hæc Valerius difcrimini fe cōmittit, & equitē ex domefticis viæ comitem afcifcit, vt fi quid contra fidem accidiffet, per hunc reliqui facti certiores fibi confulerent. Quem obfidis loco retinere poterat, noluit: vt maiorem fiduciæ fignificationem ederet. Sed vbi ad Bafciani tabernaculū appropinquarūt, præcurrit ille, & enūtiat, vnde veniret, omnes effe perturbatos: vt quum vultu metū nō tegerēt, non fuerit iudicare difficile, eis videri nihil longius, quàm ex quibus premerētur anguftiis euadere: fi Bafcianus pergeret, quæ cuperet, omnia cōfequuturum. Hoc intellecto Bafcianus, Valerium acri excipit obiurgatione, quòd in tantum cōtemptum ipfi veniffet Solimani claffis, vt inftar alicuius ftabuli ca-

ſtrum contra hanc armis tueri in animo habuiſſet. hoc eum facto extrema omnia cômeruiſſe: veruntamen ſi ſumptus qui in caſtelli oppugnatione facti erant, rependeret, ipſi ignotum iri: id ſi non faceret, obſeſſos impẽſarum loco haberi oportere. Hoc edicto Valerius perturbatus, pactionem initam proponit, fidémque ſibi datam requirit: cuius ſi Baſcianum pœniteat, vt rem infectam eſſe velit, hoc ſe contentum eſſe, ſibi modò reuerti liceat, vnde fide publica vocatus aduenerat. Hoc ei negato, ægrè permittitur, vt viæ comitẽ ad ſuos remitteret rei nuntiandæ cauſa: quo miſſo, ipſe ad naues traducitur, & in vincula coniicitur. Qua re per nuntium cognita, varius obſeſſis inceſſit dolor. Quúmque non ſatis animo complecterentur, quò ſe à tam repentina & acerba calamitate auerterent, luctu & querelis diem cõſumentes, ſui muniendi diligentiam omittebant: atque ab Equitibus milites incitati vexatíque conuitiis, defixo ad terram vultu, flentes in tabernaculis cum vxoribus & liberis abditi, ſuam perniciem miſerabãtur: neque vlla ratione obtineri potuit, vt ad dimicandi propoſitum animum aduerterent. Poſtero die, prima luce, idem qui nuntium infauſtum attulerat, ad hoſtes remittitur, vt intelligeretur an Baſcianus de duritia quicquam imminuiſſet: ſimul Valerius à Baſciano accerſitus interrogatur, an probaret diei ſuperioris edictum de obſidionis ſumptibus repræſentandis. Cui Valerius capitis diminutionem obiectãs, oſtendit nullam ſe poſſe ſentẽtiam dicere, niſi quam iuſſus eſſet, ſéque cum libertate caſtri præfecturam

& imperium amisisse, paruíque referre, Basciana m sanctionē probaret, an improbaret, quum amplius nullus sui respectus haberetur: si tamen adhuc sibi quicquam iuris reliquum esset, impelli se nunquam posse, vt cēseret aut suaderet aliam deditionis legem subeundam, atque legatorum pactionibus conuenisset. Ne hæc sententiæ constantia ad obsessos perlata, eos ab instituto consilio deterreret, rémque ad pristinam belli rationē reuocaret, pauca Bascianus cum suis colloquutus, eadem vsus simulatione de omnibus liberādis, huic dexteram prehendit, atque arridens, Nunc, inquit, extra omnem exceptionem, pollicita confirmamus diuturna obsessione, & animi suspensione languentes tandem ad libertatem euoca. Valerius semel deceptus, fluxæ fidei parū credens, hanc in se prouinciam non recipit, sed vocato inclusorū nuntio, Huic, inquit, here quæ iubes, præcipe, imperio fortuna me deiecit. Quod ergo per Valerium facere non potest Bascianus, per nuntium exequitur. Illos aduocat, eísque nihil nocitum iri fide sua esse iubet, atque per caput Solimani deierat. Nuntius hac onustus vanitate, ad suos properat, & nūtium effundit. Hoc audito, metu se milites expediunt, ac lætitia gestientes exitum parare incipiunt. Quúmque Equites consideratius exitum fieri oportere pronūtiassent, milites quicquid temporis intercederet, hoc libertatem suam morari & impedire arbitrati, cōcursu ad portas facto, conferti cum vxoribus & liberis, castro se præcipites agūt. Hostes turmatim ante portas dispositi, vt emigrantes excipe-

rent & deprædarētur: id faciunt, omnibúsque rebus, quas quisque charissimas abstulisset, expoliatos, prædæ loco ad naues abducunt. Mauros ducētos, qui, ex quo tempore Tripolim Equites adepti fuerant, horum fidem semper erant sequuti, interficiunt. pars Equitum expoliata, ad Bascianū deducitur, reliquis ad naues abreptis: quibus visis Valerius Basciano fidem obiicit: sed hic cum canibus fidem se non colere respōdet: támque sibi liberum esse promissa non exoluere, quàm illis fidē Solimano Rhodi iuratam fefellisse. Hostes castro potiti, acclamationibus, suo more, & cannarum strepitu in cælum editis, victoriam cōcelebrāt. Huc Aramo accedit, & Equites humi prostratos inspectās, misericordia commotus, ad Valerium procedit, eúmque quibus potest verbis ex tempore cōsolatur. Hoc peracto, fidem à Basciano violatā intelligit, & obnixè rogatur, vt ab eo contendat, si fidem integrè non seruaret, numerum tamen à se præscriptum impleret. E ducentis, quibus initio pactionum vltrò missionem spoponderat, perpaucos vinculis exemerat. Aramo huic operam suam professus, ad Bascianum se confert, narrat quæ de fide non seruata Valerius opponeret. Hic item fide ab Equitibus Solimano fracta se protegit. Vix tandem obtinetur, vt ducētis catenæ demerētur. Quinetiam vt ad Gosiram factum demonstrauimus, senio confecti, & ad rem gerēdam inutiles absoluuntur, equitibus Hispanis asseruatis, aliquot Francis adolescentibus admixtis. Qui vt vinculis soluerentur, pecunia Bascianum Aramo expugnauit, atque illos solutos

ſuis nauibus impoſuit. Ad portus introitum, mediocri ab arce interuallo, olim Cæſariani poſt vrbem à ſe captam turrim excitauerant. hæc vni ex Francis equitibus triginta militũ præſidio cuſtodienda commiſſa fuerat. Hoſtes, caſtro potiti, hanc etiam quum expugnare pararent, ad eaſdem artes, quibus Valerium fefellerant, confugiunt. ſed is eorum fidei minimè confiſus, rem conſultò tractandis conditionibus extrahit, dum nauiculam nanciſcitur, in quam vniuerſo contubernio impoſito, ad Aramonis naues perueniret. His rebus geſtis, Aramo facta poteſtate, naues ſoluit, & Tripolis reliquias Melitam traiicit. Harum appulſu, caſu Tripolis cognito, & cum Goſiranorum pernicie collato, Omedes animo grauiter laborare cœpit, & rationem inire quo modo iis de rebus Cæſari ſe purgaret, vt culpa vacare crederetur. hunc verò quæ angebat ratio potiſſima erat, quòd annis ſuperioribus, quum relatũ eſſet, Cæſar, te nolle Tripolis cuſtodiam Equitibus remittere, indictis & peractis comitiis ſolennibus, omnibus cautionibus ſancitum fuerat, vt reliquis curis poſthabitis, in vnam rem Tripolitanam incumberetur, & ſtatim ac per opportunitatem liceret, eò militia transferretur: interim quotannis equites quinquaginta tranſmitterentur, donec ad vniuerſitatem deuentum eſſet: quod tamen Omede prohibente fieri non potuerat: Pontificis maximi beneficio conceſſum eſt militiæ principibus, vt ſingulis quinquenniis, cuiuſque prouinciæ definitas poſſeſſiones vacuas, quibus viſum ſit commendare, & ab eo qui fuerit auctus ea li-

beralitate, anni vnius prouentum exigere. Hac tamen lege id eſt impetratum, vt exactam pecuniam ex æquo Princeps cum ærario partiatur,& æqua pars in caſtrorum munitionibus collocetur. Nouemdecim prouinciis militiam cōſtare planum eſt, triáque poſt initum principatum quinquennia Omedi affluxiſſe, quibus & rem ſuam familiarem genúſque auxit ampliſſimè, & facultates magnas ærario fraudato comparauit,domúmque auertit.Ei rei Tripolitanæ munitiones magnum impedimentum attuliſſent:ſed ne,Cæſar,ipſi Tripolitanum excidium aſcriberes,hoc ille modo præcurrendum eſſe putauit.Familiaribus aliquot nominatim euocatis,& in cellam ædium occultiorem retruſis, quòd aliis præſentibus ſermones ſuos iactari nollet,grauiter apud eos factū ſuum queritur, quòd Aramonis animo non ita probè ſibi perſpecto & cognito, hūc tamen ad Turchas allegaſſet, qui tametſi à militiæ rationibus alienum animum non gereret, erat nihilominus ſola præſentia deditionis cauſam præbiturus: quòd incluſi nauium eius ſubſidio confiſi,erant contentionis pertinaciam & ſtudium depoſituri.Quinetiam credibile eſſe, Aramonem ſuæ gētis fœdere cum Turcharum natione,rerúmq; communicatione ſolicitatum,Valerio Franco defectionis autorem fuiſſe, atque ita eius alacritatē repreſſiſſe. (cuius torpore & tarditate milites adducti, ad deditionis conditiones deſcendiſſent)hoc percōtationibus elici & ſciri poſſe. Etenim omnibus mirum videri quinque omnino diebus, quibus eò ventum ſit, arcem validiſſimam ex-

pugnatam esse. Hoc seu diceret, quòd fraudem admissam esse crederet, seu verecundia ductus, quòd despecto concilii iudicio maturè Tripolis periculo præuertere recusasset, quoniam compertum non habeo, pro certo ponere nolui. Qui ei sermoni intererant, vt se assentiri comprobarent; de suo quisque addit, quæ ad rem pertinere arbitratur. denique ratiocinationibus in multam noctem extractis concluditur, in Valerium quæstionem decerni oportere: sed hoc negotium in Aramonis discessum esse differendum, interim dum ipse nauibus portum occupat, clausis castri ianuis toto muro custodias diffundi, ne quid clàm cum Francis commolitus, ex insidiis castrum occuparet. Hæc occultè structa techna serpere cœpit latius, atque alteri ab altero quasi per manus tradita certo autore occultato, quum plures autores esse viderentur, ac de suo quisque semper aliquid adderet, sic aucta est, vt castri muniendi causa animo dissimulato magnus postridie ad Omedē Equitum & militum fieret concursus. Hæc ad Aramonem amicorum indicio peruenerant. is tamen animi cōscientia & domestico fretus iudicio, in concilium se cōferre deliberat, vt redderet à se susceptæ procurationis rationem. Adeuntem Omedes magna hominum frequentia excipit, & iuxta se assidere facit. Tum Aramo exponit, vt suprà ostendimus, de castro expugnando quæ Bascianus à Solimano mandata habuisset, &, vt hunc ab instituto deduceret, quantum ipse conatus esset: quídve responsi abstulisset. deinde eius perfidia memorata, asserit se om-

nino aſſequi non potuiſſe, vt alia lege, qui in vinculis erant Equites, abſoluerentur, quàm vt triginta, qui ad Melitam intercepti fuerant Turchæ, itidem libertate donarentur: cuius rei à Valerio promiſſæ Equitum precibus fideiuſſor extitiſſet. Proinde rogare vt apud ſe bona fide deponerentur, ne Baſcianus de eo queri poſſet: multa addit ad Equitum excuſationem, debilitati loci culpam calamitatis attribuens. Qua oratione ſuam indiligentiā tangi Omedes ſuſpicatus, paucis, & ſubfrigidè agit ei gratias, & confeſtim ſpe recipiendorum captiuorum repellit ad Valerium & ſocios hac excuſatione reiectū, quòd captiui præda eorum eſſent, à quibus capti fuerant: nec aliter haberi eos poſſe, quàm pecunia redēptos. Miſſo ad veſperam concilio, qui pridie ſecreti fuerant participes, in conclaue ab eo ſeuocantur. vbi de ſuſpicionibus & ratione perficiendi plenius agitur & liberius: ſed de Francis laboratur, qua arte capi poſſint, vt dolos non ſentiant. hæc enim natio numero plurimùm valet, quæ ſi illorum propoſito aduerſa fuiſſet, magnam difficultatē attuliſſet. In eam rem hic munitur aditus. Homines idonei deliguntur, qui viros primarios ſingulatim prenſent & doceāt, niſi in deditītios ſumma ſeueritate exemplum ederetur, quantum militiæ dedecus allatura eſſet Tripolis deditio. Francorum nationem ſic ſemper meruiſſe, vt nullam vnquam ignominiā ſuſtinuerit. Nunc verò magno Reipub. Chriſtianæ detrimento accidiſſe, vt qui Tripolis imperium obtinebat Francus, relicto loco ſibi demandato, ab hoſte vo-

catus, paruerit: quo ex facto arcis deditio sequuta sit. Quum in primis laudi studeant Franci, eorum esse hoc acrius instare, vt causa cognita de eo statueretur: ne ea parte neglecta aut impedita, admissæ turpitudinis conscii fuisse crederentur. Rem concionis arbitrio permittere, vnicum ad omnem tollendam suspicionem esse remedium, vt si necessitate, quod quidem credibile est, locum desertum fuisse constitisset, desertores optimatum sententiis absoluerentur. His rebus ita concinnatis, primùm inuaduntur aulici, quòd Omedis gratiam præ cæteris omnibus rebus sectari crederentur. hi capti laudis imagine, & pollicitationibus circunuenti flectuntur, vt se principes fore ad Valerii noxam persequendam profiteantur. Qui apud eum ordinem Frācorum nomine appellantur, diligentiæ laudem reliquis præripiunt, procurant vt suorum prouincialium concio indicatur. Quúmq; permulti conuenissent, & princeps eorum non adesset, quæritur à senioribus quo impulsore, & qua de re coiuissent. Ad hoc quum nemo respondisset, re infecta congregati, dilabi è concione incipiebant: sed illi quæsita & illata causa recedentes retinent, & cæteros festiuos, & iocis intentos, vt cuiusque natura & ingenium ferebat, ad excidii Tripolitani mentionem conuertunt. Commemorant edicto principali statutum esse, vt vniuersæ prouinciæ generatim cogerentur, & vnaquæque certum quempiam deligeret, qui Valerium Tripolis desertorem ad supplicium deposceret. non sibi committendum esse, vt postremi ad eam rem

fuisse dicerentur, ne desertionis crimen protegere videretur. Hoc vniuersi non probant, quòd accusationes eiusmodi & expostulationes ad actorem publicũ potius pertineāt: essétq; adhuc inauditũ, Equites suo nomine eo munere functos esse. Huc tamen vario sermone peruenitur, eligi certè posse, non qui actoris partes impleret, sed qui ab Omede postularet, vt Valeriũ in concilio causam dicere cogeret, cur hostibus cessisset, locúmq; dereliquisset. hoc quidem summis precibus Valerium cōtēdere, sed ei minimè respōderi. Rem nouam non temerè tentandam esse: Francorum nationem ab omni criminis suspicione semper integram extitisse: quam laudem non omnes reliquæ nationes possent vsurpare. Rhodi contigisse, vt ex Hispanis vnus proditionis insimulatus, eóque nomine damnatus, pœnas daret. non fortasse fore omnibus iniucũdum, Francos famæ iactura Hispanis exæquari: secundum hanc sententiam suffragiis adlegitur qui deliberata ad Omedem perferat. Hoc ille audito Francorum diligentiam pluribus extollit verbis: verùm id negotii in Aramonis discessum prorogat. Aramo rem frumentariã expediebat. cui rei insumpta tridui mora, ab iniquis dicebatur consultò tēpus extrahere, dum Turchæ aduētarent, vt rem Melitanam cum Tripolitana coniungeret. Post eius profectionem, Omedis præcepto, nationes generatim congregatæ, singulos accusatores nuncupant, qui desertionis crimine Valerium arcessérent, & pœnas expeterēt. Hoc autem causa cognita fieri, petentibus Francis, Octauii Fernesii exem-

plum de Colorgnæ arcis præfecto opponitur. quem post arcem amissam Fernesius ad suspendium indicta causa adegerat. Auditis omnium expostulationibus decernitur, vt Valerius, & qui assensu cõsilium eius cõprobassent, causam dicerent è vinculis. Quæstioni tribus equitibus nominatis adiungitur Augustinus Combus Melitensis, quem ex infima fortuna & vili plebe ad honestum dignitatis gradum Omedes euexerat. Qui actoris publici officio fungeretur, & in reos testes constitueret, ac delegatos instigaret, ex Omedis animo conquisitus Hispanus præficitur. Hoc vrgẽte Valerius in vincula coniicitur, Cæsaræ ditionis Equitibus armatis vndique confluentibus, & ne spiculatoris manus effugeret, simul carceri custodes admouẽtur. Iam non vt prius vlla modestia, sed aguntur omnia raptim atque turbatè: palámque Valerius proditionis insimulatur. Franci, etsi hanc in se calumniam cudi perspiciebant, armis tamen ius suum exequi nolebant: ne diceretur eorum contentio huc spectasse, vt res examini demandata & permissa, testibus non conficeretur. Cum Piglino Italorum duce vetus Villagagnoni intercedebat amicitiæ necessitudo. Is Piglinus, quòd ære alieno plurimùm premeretur, militiæ legibus à dignitatibus arcebatur: réque in cõtrouersiam adducta, quem nunc tenet dignitatis gradum, ab Omedis liberalitate acceperat. ob quæ merita & ei plurimũ fidit Omedes, & propter amoris affectum plurimùm tribuit. Villagagno antiquam suam cõsuetudinem satis esse causæ ad eum adeundum iudicans, docet quàm inso-

lenter, quantóque seditionis cum periculo gesta res esset: visos fuisse qui non solùm Valerium malè haberent, sed etiam Regem, eiúsque Legatum probris essent insectati. Hoc quoniam est ab omni ingenuitatis & honestatis officio alienũ, priusquam res magis ad perniciem inclinaret, ab Omede reprimi debere. Quúmque apud eum gratia tantùm posset, cúmque amicitiæ locum teneret, petit, vt pro sua in Francos beneuolentia, & publica concordia, in hãc rem, suam autoritatem interponere non grauetur. Afferebat insuper Villagagno multas sui iudicii rationes, cur in Valeriũ decreta improbaret: quarum hæc erat iustissima, Quum castelli infirmitas militibus timoris causam præbuisset, atque hinc accepta calamitas prorsus emanaret, tamen in Equites, quibus ad virtutem nulla res defuerat, omnis ignominia intactis militibus deuolueretur, præstare, vtvt res esset, sic euulgare, quàm Equitibus, viris fortissimis, labem turpitudinis immeritã inurere. Etenim munitionis imbecillitatem & vitium, ærarii tenuitate & paupertate excusari, at inustã Equitibus maculam elui nunquam posse. Neque etiam accideret quin principum Christianorum animos in Equites hoc factũ irritaret, Regis præcipuè: quòd sibi suæque genti per calumniam & fraudem tantam infamiam irrogari grauiter laturus esset: simul Cæsarẽ, qui suo nomine iam Francos odisset, perfidiæ delationibus aurem libenter accõmodaturum, eáque oblata causa odio maiore in eos exarsurum. Quorum principum iracundia, vt erant militiæ res inter se commu-

nes & confusæ, cõmuni quoque damno erat omnes pariter affectura: neque vni parti noceri posse, quin id alterius fieret incõmodo. Piglinus, vbi amissi castelli culpam in desidiosam & inertem administrationem, aut per auaritiam opera negata auerti sensit, hoc telum in Omedem intendi cõiectura colligẽs, iracundiam non tenuit. Illum quoque veteres inimicitiæ ex iudicialis controuersiæ molestia susceptæ incitabant. Post Rhodi cladem, vsque ad Omedis tempora triremium imperii summa ad Italos respexerat, vt diutina possessione, quasi suo iure hoc honoris sibi vendicarẽt: atque vetante & contradicente Omede quæsitum esse defenderent. Re ad Pontificem delata, multis vltrò citróque expositis rationibus agente Valerio, & Romæ ob eam procurationem considente, Itali causa ceciderunt. huius diligẽtiæ memoria & incommodo Piglinus vehementius incendebatur, & hac temporis opportunitate spem doloris vlciscendi oblatam è manibus amitti dolebat, vt in has voces ferretur, Non (inquit) ei culpæ, cui tu cladẽ impingis, sed vni Valerio acceptam feras. Tum apud suos glorians, Nos Rhodi muros penè deiectos, vrbe etiam capta dimidia, obiectis tamen cratibus ac paucis sudibus animo infracto defendimus: si sic faciẽdum Valerius sibi proposuisset, nunc tanto nostro incommodo hostes castro non potirentur. sed hic nonnulla spe fretus, hostem ad colloquium asciuit, & fortuna pugnæ non tentata, turpiter se dedidit. In hunc animaduerti necesse est, si Cæsari, ad quem maximè pertinet cladis incõ-

modum, velimus esse purgati. Huic respondet Villagagno, quòd Rhodum penè euersam, fortissimè tamen defensam esse obiectaret: ea re militum virtutem & animi constantiam patefacere. At Equitibus ad Tripolim longè aliter euenisse, qui à militibus destituti, vix ad triginta redacti, hostibus pares esse non potuissent. Quod verò de satisfaciendo Cæsari subiiceret, à se non improbari, si modestia & æquitas adhibeatur: sed insontem pro noxio pœnas dare, aut qui per ignauiam & animi imbecillitatem offendisset, proditionis crimine damnari, rem esse improbi & iniqui iudicii: atque adeò hoc iniustioris, quòd ex Aramonis Legati præsentia conficto crimine, Regis quoque optimi, optimè de militia meriti, existimatio læderetur. Hoc responso Piglinus excandescens, ad iurgia se comparabat: cuius rei vitandæ causa inde Villagagno se subduxit. Iam rumoribus percrebuerat Iulium Pontificem & Cæsarem iunctis copiis Parmam & Mirandulam obsidere, atque Henricum Regem bello lacessere. hinc occasionem nonnulli captantes, quoquouersus dimissis literis, exponunt Aramonem Fracos Tripolis imperio præfectos corrupisse, vt ex conuento Turchis arcem proderent: ipsúmque postea Melitam rediisse, vt hanc similem ad casum adigeret: Omedem de proditoribus supplicium sumere conatem, à Francis clausum & obsessum teneri. Hæ literæ in vulgus editæ, maximi ad odia in Francos excitanda momenti fuerunt: adeóque res processit, vt per imperii prouincias, Fracum

aliquem dici, ad ſupplicium ſatis eſſe cauſæ crederetur. Eas impoſturas fouebat iudicii in Valerium conſtituti formula. Omedes grauibus pœnis edixerat nequis ante ſententiam pronuntiatam pro Valerio ſupplicaret, aut eius cauſam ageret: ſed in eum cuiuſque generis teſtes admitterentur, neque vllus eſſet famæ reſpectus. Atque vt maior eſſet ad ſtruendam calumniam licentia, violatis legibus, obtinetur, ne dicturi teſtimoniũ reo præſente iurare cogerentur, néue lato teſtimonio reuocarentur, vt id repeterent atque confirmarent. Præterea ſiquis, quòd cum eo priuatas gereret inimicitias, aut alia cauſa à iudicio legibus arcebatur, ille de hoc ſupplicans, expulſis tamen propter beneuolentiæ opinionem nonnullis, reiicitur. His rebus actor publicus confirmatus ad facinus audendum impellitur. Ex omnibus qui Tripoli fuerant exportati, paucorum egentium & perditorum delectum habet, eóſque doctos quid pro teſtimonio dicendum eſſet, pollicitationibus ad id ferendum perlicit. Dominicus Cubillanus, Hiſpanus, cui aliquando falſi damnato brachiis poſt tergum religatis præcipitii pœna erat irrogata, teſtis cooptatur. Vanegas item Hiſpanus, qui abiurata religione, filios matrimonio ſuſceptos vendiderat. Præterea cannarum magiſter, ad hoſtes tranſfugiens ex itinere reprehenſus, eóque nomine condemnatus, Valerii clementia mortem effugerat, aliíque eiuſmodi aliquot ad teſtimonium dicendum coacti, affirmant lenunculo noctu ad arcem appulſo, ſecreta

colloquia cum Valerio Turcham habuisse, ac die postero Valerium Cauaglionem, quem ad hostes transfugisse demonstrauimus, cum argenti muneribus ad Bascianum misisse, arcémque biduo pòst hostibus tradidisse. Sed quum de rerum tēporibus & ordine interrogarentur, tam perturbatè & variè quæ docti erant effutiebāt, vt sua spōte vanitas appareret. Villagagno vbi animaduertit talibus testibus quæstionem haberi, iudices datos Equites conuenit. his ostendit sui esse officii, si refellendorum testium, quæ omnibus esset facultas, Valerio negaretur, vt ipsi nullos nisi integræ famæ testes admitterent. Respondēt reorum litem suam se non facturos, suúmque officium his finibus contineri, vt quos actor publicus testes produceret, interrogarent. ille vsu eorum testium fretus, & Omedani edicti licentia quatuor insuper testes subornauerat, quibus probaret Aramonem, cannis in terram emissis, arcem cum Turchis pariter concussisse, ídque ex vexillis regiis deprehēsum esse. veruntamen quum stulta testium loquacitate fraus effluxisset, iniquitatis & calumniæ pudore victus sese continuit. Testibus eius officio functis, reorum testibus adducendis & audiendis octo dies indicuntur, quāuis actori publico duo cessissent menses. AEquitate tamen causæ perfectum est, vt sexaginta virorum integrorum testimonio reorum innocentia confirmata sit. his de rebus paulò pòst ad concilium refertur, & testificata recitantur. Magna quippe videbantur quæ actoris testes af-

ferebant. ſed iis, quæ ſunt adductæ, rationibus eſt fides abrogata. Itaque omnium ad vnũ iudicio pronuntiatur, in deditione Tripolitana neque dolum, neque fraudem, aut vllam penitus malitiam interueniſſe: ſed animorum nimia remiſſione è timore nata, peccatum eſſe. quo nomine nullum in eos legibus Imperatoriis ſupplicium eſſe conſtitutum, à iudicibus datis oſtenditur. ſed Equitum ſanctionibus caueri, vt qui hoſtibus ceſſerit, locúmue ſibi commiſſum iniuſſu principis reliquerit, quíque deſertionis participes & conſcii extiterint, concilii arbitrio exaugurentur. Hac lege cum Valerio Soſam Luſitanum, Herreram Tarraconenſem, & Fuſterum Maioricanum noxios pariter deprehenſos vnum & idem ſupplicium luere oportere. Ex qua lege, Omedes Hiſpanos communi cum Valerio pœnæ deſtinari intelligens, & Poëſium, cui ob vetus odium peſſimè cupiebat, omnium ſententiis eripi, è temporis exiguitate ſumpta occaſione cauſam diuidere conatur, atque in præſentia Valerio damnato, Hiſpanos ad aliã opportunitatem reſeruare. Hoc probare incipit Combus, qui Quæſitoris vice functus erat, & ex Omedis animo ſententiam corrigere, magnáque animi contentione Hiſpanorum culpam extenuare. qua verſutia Schilingus Germanus permotus, Tu, inquit, homo es improbus qui te tam leuiter inflectas. tu nunc affirmabas, quum vnà & æqualiter omnes deliquiſſent, non poſſe admiſſum ſcelus expiari, niſi pœnas pariter pénderent: at è veſtigio ad leuem principis

propositiunculam te immutasti. tu sanè ipse maximo cruciatu dignus es. Ad hanc sententiam Perus Nugneus eques Hispanus accedit, atque adiungit, Tu, vt rei nullius hominem decet, eloquutus es. tum ab hoc conuersus ad Omedem, se non passurum esse pronuntiat, de Valerio decerni, nisi qui eadem culpa essent obstricti, idem quoque subirent iudicium. Reliqui, Combo conuitiis grauiter correpto, in Nugnei sentētiam pedibus iuerunt. Tandem quum altercatione, nulla Omedi spes euasionis esset, reliquorum sententiis se accommodat. Addit tamen atque instat, de Valerio & Fustero aliquanto grauius esse statuendum, quòd hic illius postulata ad hostes pertulisset: ille ab hoste vocatus, parüisset, locúmque fidei suæ creditum deserüisset. sed quia religione à capitis iudicio arcentur Equites, laicorum arbitrio exauguratos relinqui oportere. Atque ad eam rem iudicem proponit Combum. hic verò, his de causis quæ de ipsius leuitate demonstratæ sunt, non probatur: quanuis acriter Omedes contrà insisteret. sed ipse pudore victus, onus excutit, hoc prætextu quòd iam partibus iudicis functus esset, atque sententiam suam declarasset. Qua demōstratione Omedes non contentus, rem ad Scribam reiicit, atque ita concilium dimittit. Breui tempore interiecto, in hanc sententiā literas à Rege nuntius attulit, Quoniam multorum sermonibus comperisset suam famam de re Tripolitana per exteras nationes traduci & conflictari, & ea de re Melitenses omnium certissimum

teſtimonium ferre poſſent, pro ſuis in eos perpetuis meritis poſtulare, vt ad ſe rem veriſſimè perſcriberent, vt ſiquid Aramo peccati concepiſſet, aut omnino rem Legato Chriſtianiſſimi principis indignam conatus eſſet, ſceleris pœnas daret. ſi verò nihil perſona, quam ſuſtinebat, indignum feciſſet, publico militiæ teſtimonio inuſta priuatis ſcriptis macula detergeretur. Literis in concilio recitatis, & poſtulatorum æquitate perſpecta, ſtatuitur, Regi quod peteret, concedi oportere. ſiquidem in Aramone nihil culpæ deprehenſum erat: ſed eum potius maxima pietatis officia, tum regio, tum proprio nomine præſtitiſſe. Atque ea de re arctiſſima obligatione militiam ipſi deuinctam eſſe ad vnum omnes ingenuè confitentur, in eámque declarationem Scribæ literas imperant. At Omedes miſſo concilio hunc ad ſe venire iubet, & aliquantum temporis ſuperſedere, dum de ratione conficiendarum literarum conſideratius deliberatur. Eas tanti ac talis momēti emitti non debere, niſi optimè digeſtas & concoctas. Quum ad ſcribendum ſatis temporis effluxiſſe Villagagnoni viſum eſſet, à Scriba literas requirit. Ille verò magnis quibuſdam occupationibus tarditatem ſuam tegit, atque in diem ſequentem extendit. Ea mora intermiſſa, iiſdem quibus vſus antè fuerat artibus, diem extrahebat. Quam prolationem Villagagno non abſque ratione fieri arbitratus, inquirendum eſſe putauit, quid aleret hoc mali. Id quum feciſſet, reperit cum Combo Omedem ſecretò de re

Valerii diu loquutum esse, eíque cunctanti quingentorum aureorum pœna constituta edixisse, vt illius iudicium susciperet, atque si vsus esset, cruciatibus extorqueret, Aramonem secum de castri deditione transegisse per hominem noctu missum, vt hoc expresso, & in acta redacto, æquissima Regis postulata criminis confessione deluderet. Ea re Villagagno prouocatus, coacto concilio, Scribæ negligentiam accusare cœpit, quòd serius quàm ipsi præscriptum esset, literas cõficeret. siquid obstaret quominus hæ darentur, omitterentur: ne moræ illatione ab idonea ad nauigandum tẽpestate in hyemem Regis nuntius produceretur. Regem fore contentum declaratione secundum reos facta: hos, neque dolum, neque fraudem in tradendo Tripolis castro commisisse, sed per ignauiam oppressos formidine hostibus cessisse. Cum ipso hæc dicente altercari cœpit Laboretus Eques, Aquitanus, Omedanæ gratiæ sectator, à Rege testimonium Aramonis innocentiæ petitum solùm esse, non autem in reos dictata. Villagagnonem respondere exorsum Omedes interpellat, ad quem ipse conuersus, Vt, inquit, Princeps, intelligas quibus causis adductus iudicium pronuntiata efflagitauerim, consilii mei rationem, si per te mihi licuerit, paucis expromam. Iam percrebuit, tibi cum Augustino Combo conuenisse, vt is in Valerium capitis iudicium aggrediatur, téque ei præscripsisse quid ab eo inquirat: atque si Valerius diffiteatur, id tormẽtis exprimat & exculpat. Hanc tuam

cunctationem, morámque literis interiectam, huc pertinere plærique arbitrantur, vt specie probabili illata causa Regem postulatis deiicias. Etenim Valerius, præter ætatem in multum senium prouectam, est ea corporis habitudine, & virium imbecillitate, vt ab ipso quæque vanitas facilè pro re vera tormentis extorqueatur. Vbi arcanum Omedes proditum esse sentit, ira correptus, Villagagnonem increpat, iubétque patefacere à quo hæc accepisset. Is autoris nomen minimè quærendum esse, sed an verum esset indicium, respōdit. Hoc quum Omedes falsum esse pronuntiasset, Ergo Combum, inquit Villagagno, absolue, Princeps, quingentorum aureorum pœna ipsi à te irrogata, nisi capitis iudicium in Valerium à te constitutum susciperet. Ipse in tuo concilio ignominia notatus, quòd in ferenda sententia parum sibi constitisset, non amplius est rogandus, sed arcendus, atque eius loco alter integræ famæ, si rem rectè iudicatam velis, surrogandus. His dictis, ira simul & pudore Omedes æstuans, verbis in Villagagnonem irrumpere incipiebat. Sed ille eius rei vitandæ gratia è concilio se recepit. Eò tamen res rediit, vt alius à Combo iudex Valerio fuerit datus, ac Scribæ imperatum, vt nulla mora interposita testimonium cōscriberetur. Sed hoc ita fabricatum est, vt reprehensioni locum relinqueret. Nam vbi assertum esse debuerat, Aramonem nihil prorsus contra viri boni officium fecisse, id definito tēpore, & quodam verborū aucupio coarctabatur. In eum nem-

pe diem compertum non fuisse, hunc secus ac virum bonum decuerit, se gessisse denuntiabatur, perinde acsi eius rei certitudo diuturnitati temporis reseruaretur. Itaque huiusmodi testimonium delaturum se esse Villagagno negat, quod dubitationem non tolleret, sed hominum animos futuri temporis expectatione suspenderet. De hoc iterum ad concilium refertur, atque Omedi vehementer reclamāti expugnatur, vt literæ omni dubitationis adempta materia reficerentur. Harum exemplum in Franciam mari proficiscens Villagagno, à tuis, Cæsar, interceptus, ad te misit. De Valerio autem contigit, vt is à Iohanne Vassallo, doctissimo atque integerrimo viro, modis omnibus renitente Combo, absolutus sit: quòd dolum fraudémque ab arcis deditione absuisse cognitum & perspectum esset, sine quibus causis Imperatoriam maiestatem non posse lædi Iulius Cæsar lege promulgata definiuit. Hic tamen carcere conclusus subterraneo, cæco, atque solis, omnísque lucis prorsus experte, miserrimam & inopem vitam ab Omede bonis omnibus expoliatus traducit: vsque eò, dum tu eius ærumnas miseratus, Omedis mentem ad lenitatem & misericordiam reuocaueris.

Hic fuit belli Melitensibus illati exitus. Nunc tuum ac bonorum omnium, Carole Cæsar, erit iudicare, ad quem arcium deditarum dedecus pertineat: quámque iniqui & improbi fuerint, qui eam cladem in Francos auertere sunt conati.

EXCVDEBAT CAROLVS STEPHANVS, TYPOGRAPHVS REGIVS, LVTETIAE, M. D. LIII. CALEND. APRIL.

